

DCLIX.

MEDICAGO POLYMORPHA PINNATIFIDA. *Tab. 15. fig. 2.*

Crescit in Hispania circa Malagam. Apud nos floret & fructescit sub dio æstate. Annua & tota glabra. Caulis pedalis, teres, erectus, debilis, vix pennam columbinam crassus, ex ipsa basi ramos emittens adscendentes vel procumbentes. Folia ternata, petiolata; foliolis obverse cordatis, acute crenulatis. Stipulæ geminæ, pinnatifide incisæ in lacinias subulatas acutas, idque in alterutro plerumque latere magis. Pedunculi axillares, solitarii, subflori. Flores flavi. Legumina cortorta, subrotunda, spinis subulatis dense prædita, fusca.

DCLX.

HIERACIUM PANNONICUM.

In Hungaria sponte crescit; florens totam æstatem. Radix perennis, pollicem crassa, profunda, fusca, ramis aucta. Caulis unus alterve, annuus, erectus, tripedalis, angulato-striatus, inferne teres, hirtus, calamo crassior, foliosus, superne in ramos floriferos subdivisos & aphyllis paniculatus. Folia utrinque aspera & hirta, ad oras hirtociliata, rigidula, sordide ex incano virentia; infima obverse ovata, basi angustata, rotundato-obtusâ, rariter dentata, petiolata, semipedalia; subsequa similia, sed sessilia; superiora hastata, subamplexicaulia, ovata, acuta, crebrius dentata; summa acuminata, subintegerrima, lanceolata, hastata; superiora semper successive minora.

Flores.

Flores breviter pedunculati, inordinate sparsi, erecti, numerosi. Bractæ ad ortum pedunculorum & divisiones ramorum lanceolatae, acutæ, incanæ, erectæ. Calycis striati & subovati foliola crassa, rigidula & subtomentosa. Corolla stamina & stigmata lutea. Receptaculum nudum, planiusculum. Semina subulata, fusca, sulcata, longitudine pappi sessilis & pilosi. Tota scatet succo lacteo & viscoso.

DCLXI.

CACALIA PEUCEDANIFOLIA.

Senecio peucedanifolius. *Linn. syst. pag. 756. Linn. suppl. pag. 372?*

Promontorium bonæ Spei patria est. Apud nos floret Majo & Junio; tota trita odoris ingræte balsamici. Caulis fruticosus, tripedalis & ultra, debilis; basi pollicem crassus, ibidemque ramos adscendentes plurimos emittens ceu totidem alios caules, cinereus, glaber. Folia sunt sparsa, numerosa, subbipinnata, filiformia, ad lentem rariter hirsutula; costa media pinnisque antice sulco exaratis, dorso teretiusculis. Pedunculi ramosi, elongati, nudi, glabri, axillares & terminales simul paniculam formantes. Pedicelli squamulis muniuntur. Calycis communis & subcylindrici squamæ sunt acutæ, erectæ, apice ex nigro sphaclatæ ut in Senecione, basi que calyculatæ squamulis brevioribus & patulis. Flosculi omnino omnes sunt hermaphroditi absque ullo fæmineo, adcoque Cacaliæ; corollulis quinquefidis, flavescensibus, infundibuliformibus. Receptaculum est nudum. Pappus pilosus, sessilis. Et alia Cacaliæ.